
J. Fabricius
(A. Burckhardi)
Problematum selector. trias
Stet., 1647.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

1,-502.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 02046 4
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

DISPUTATIO THEOLOGICA
exhibens
PROBLEMATUM SELECTORUM TRIADA,

Quam

Auſpicijs S. S. & individuæ Triados,
Sub Præſidio

VIRI ADMODUM REVERENDI, CLARISSIMI ET EXCELLENTISSIMI,

DN. JACOBI FABRICII, S. S. Theol. D. & Profeſſoris primarij, ad D. Mariæ Paſtoris, & Orientalis Pomeraniæ Superintendentis Generalis,

publicæ diſquiſitioni ſubijciet

ANDREAS BURCHARDI, Kilone Holſatus
Auctor & Reſpondens.

Habebitur in Illuſtris Pædagogij Acroaterio majori, ad diem 19. Martij
Anno 1647.

STETINI
Typis *GOETSCHIANIS.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

VIRIS EXCELLENTISSIMIS, CLA-riſſimis, Spectatiſſimis, Reverendis atq; Do-ctiſſimis,

DN. BERNHARDO MOLLERO, U.M. Doctori & Practico apud Chilonienſes Experien-tiſſimo.

DN. MATTHIÆ NICOLAI, U. M. Do-ctori & Practico ibidem celeberrimo.

DN. BERNHARDO Vetten/ Reipub. Chilonienſis Senatori meritiſſimo.

DN. MATTHIÆ BURCHARDI, in urbe Patria ad D. Nicolai Eccleſiaſtæ vigilantiſſimo.

Dnis Suſceptoribus, Conſobrino, Adfini, Fratri, Evergetis, Patronis ac Promotoribus ſuis perpetuo amoris & obſervantiæ cultu proſeqvendis has exiguas ſtudÿ ſui Theologici primitias ſubmiſsè offerre ut debuit, ita voluit

ANDREAS BURCHARDI,
Auctor & Reſpondens.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

Σὺν Θεῷ.

PROÆMIUM.

QVod de inani gigantum pugna adverſus Superos ſuſcepta Poëtæ fabulantur, non inepte de modernis Eccleſiæ hoſtibus, qvi auſu plusqvam gigantæo Iehovam in membris ſuis oppugnant, ejusq; Eccleſiam ſuper angularem lapidem Chriſtum exſtructam, ipſisq; inferorum portis inexpugnabilem, ac perpetuò duraturam cæleſtis doctrinæ veritatem incaſſum expugnare conantur; dici poſſe, nemo, qvi hiſtoriarum ſacrarum monumenta ſaltim delibaverit, inficiabitur. Siqvidem ἄσπονδον illud bellum in paradiſo inter Cacodæmona & ſalutiferum Mulieris ſemen exortum, hucusq; truculentus ille mundi Princeps, contra exiguum Chriſti ovile, vi fraudeq; continuat: nec cruenti hujus certaminis finis, nec induciæ qvidem, ante extremam mundi ruinam, ſperandæ ſunt. Tribus vero inprimis Sathanas organis ad devaſtandam Chriſti Eccleſiam uti ſolet: Tyrannis crudelibus, peſtiferis hæreticis, falſis fratribus. Hinc tot Nerones, Decios, Domitianos, &c. excitavit; hinc tot ſchiſmaticorum ſectas enixus eſt. Hinc Filium perditionis, ut ſe ſuper id, qvod eſt Dei, extolleret, & ſublato firmisſimo Eccleſiæ fundamento, fragile pſeudo-chriſtianæ ſedis pedamentum ſupponeret, inſtigavit. Hinc etiam inter ipſos, qvi Meretricis Romanæ jugo excuſſo veritatis luce colluſtrati ſunt, hypocritas diſſeminavit, qvi, ut lupi rapaces, agninis pellibus tecti, in ipſo ovium cœtu ſæviunt. His igitur hoſtibus, tam aperto Marte pugnantibus, qvàm occultè inſidiantibus, ut gladio Spiritus fortiter reſiſtamus, maturè ejusmodi arma conqvirere, hisq; certaminibus aſſueſcere oportebit. Eapropter etiam nobis hac vice, progymnaſmatis loco, qvæſtionum theologi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

eorum triada (Quod SS. Trias ratum velit) *juxta S. Scripturæ normam diſcutere, & ab Adverſariorum fraudibus vindicare animus eſt.*

I. Problema.

An JESUS Mariæ filius ſit promiſſus mundi Meſſias?

VEnturum aliqvando שִׁילֹה qvendam, qvi humanæ miſeriæ mederetur, Patres ex revelati verbi divini dictamine firmiter crediderunt, anxiè deſiderarunt: quin & paganos de ipſius adventu divinitus quædam accepiſſe, ex Bileami, ceu gentium Prophetæ, & Sybillarum vaticinijs videre eſt. Atq; ita de venturo quodam Meſſia cum gentibus æquè ac Judæis (licet utriq; & de tempore dubitent, & de mundana ejus imperij gloria, aureoq; ſeculo multa ſomnient) amicè convenimus.

At de ipſa Meſſiæ Perſona inter nos & illos adhuc ſub judice lis eſt. Siquidem ipſi, hucusq; in mentis caligine perſeverantes, Jeſum Mariæ filium pro deſiderato mundi Salvatore agnoſcere detrectant. Nos aſſertionem noſtram adverſus gentilium errorem ſequentibus probabimus.

1. Ex ſanæ rationis lumine, quod Hominem, quo nullum Animal, juxta effatum Cynici, præſtantius aut divinius vivit, Laërt lib. 6. non ad exiguum hujus vitæ momentum, ſed ad præſtantiorem aliquam atq; æternam beatitudinem conditum eſſe, ſatis dictitat. Jam verò hominem ex gratia in iram divinam incidiſſe, & proinde animi remedio indigere, ipſi Paganorum ſapientiores, & inter alios Plato, qui animæ alas, quibus à Deo prædita fuerat, confractas, adeoq; reparandas eſſe docet, fatentur: imò tot legum volumina, tot morum præcepta,

quibus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

quibus animi pravitatem corrigere moliebantur; tot ſacrificiorũ ritus, quib9 Deorum iram placare allaborabant, luculenter demonſtrant. At inſufficiens fuit illa morbi medicina: nec his omnibus cauteriatæ conſcientiæ ſtigma eruere potuerunt. Idcircò Θεανθρώπου Mediatoris interventu opus erat: Hominis, ut mortem, quam genus humanum meruit, perferret: Dei, ut de morte triumpharet, nosq; ſuis meritis veſtiret.

Talis fuit & eſt ſolus noſter Jeſus: hic Homo eſt, cum ſit ex Maria natus, corpore & anima rationali conſtans, cum ederit, biberit, paſſus & mortuus fuerit; Deus eſt, cum tot, tantaq; fecerit miracula, quæ non tantum Judæorum, ſed & gentium regiones percrebuerunt: quemadmodum de eo teſtimonia Joſephi, Nicephori, Euſebij, &c. citat Clariſſ. Micrælius Synt. hiſt. Eccleſ. lib. 2. Sect. 1. q. 9. qualia nullus hominum ſua virtute perficere poterit. Siquidem (ut Gymnoſophiſtam Indicum Alexandro reſpondiſſe ferunt) is demum Deus eſt, qui facit, quod nulla creatura poteſt.

II. Ex vaticinijs Sybillarum, præſertim Erythrææ, quæ perſpicuis verbis ex Judæa eo tempore, quo Romani Regem Ægypti reduxiſſent, Dominum orbis proditurum eumq; ex virgine naſciturum, nomine Jeſum, Mediatorem inter Deum & Homines fore, deniq; à Judæis crucifixum, reſurrecturum omnesq; judicaturum prædixit. Quos libros Paganis etiam notos fuiſſe præter alios teſtatur Cicero lib 2. de Divinat. lib. 3. de Rep. &c.

III. Ex confeſſione Oraculorum: cum & Dæmones ſæpius inviti veritatem cœleſtem fateri cogantur, uti Exod. 8. v. 19. Act. 16. v. 17. patet. Annunciaſſe verò Oracula Meſſiæ adventum & ſilentium ob id ſibi impoſitum, Cicero, Juvenalis, Strabo, Julianus, Porphyrius & alij con-

 fitentur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

ſitentur. Memorabile porrò reſponſum, quod Oraculum Auguſto de regni ſucceſſore percunctanti retuliſſe proditum eſt.

Παῖς ἑβραῖος κέλεταί με Θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τὸν δὲ δόμον προλιπεῖν καὶ ἀΐδην αὖθις ἱκέσθαι.

Me puer Hebræus, Divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemq; redire ſub orcum.

IV. Ex rumore publico: qui non ſolet eſſe de nihilo, ſed inſtar oraculi eſt, teſte Tullio. Increbuiſſe autem tunc temporis per totum Orientem publicam famam de Rege ex Judæa venturo, qui toti dominaretur orbi, teſtes ſunt Sveton. in Veſp. Tacit. lib. 5 hiſt. Virg. Ecl. 4.

V. Ex ſtupendis prodigijs, quæ nativitatem Jeſu noſtri comitata ſunt: uti ſunt ſtella in Oriente lucens, tres circuli Solem ambientes, quorum unum ignita ſpicarum corona circumdedit, tabulæ debitorum ærarij Romani exuſtæ, Oraculorum defectus &c.

Judæos quod attinet, contra hos Jeſum eſſe promiſſum mundi Servatorem evincere poſſumus.

I. Ex V. Teſtamenti vaticinijs in ipſo adimpletis. Natus eſt enim (1.) ex ſemine Davidis 2. Sam. 7. verſ 16. (2.) Sceptro â Juda ablato Gen. 49. v. 10. (3.) in Bethlehem Mich. 5. v. 2. (4.) Ex Virgine Eſa. 7. v. 14 (5.) obmuteſcere juſſit oracula Zach. 13. v. 2. (6.) Prodromum habuit inſignem Mal. 3. v. 1. (7.) oblatus eſt Domino in templo ſecundo, cujus gloria major futura erat gloriâ prioris Hag. 2. v. 10. (8.) Pauper & manſuetus, aſinæ inſidens, Hieroſolymam introivit Zach. 9. v. 9. (9.) aceto & felle potatus eſt, Pſ. 69. v. 22. (10.) paſſus & mortuus Eſa. 53. (11.) ſepultus ib. v. 9. (12.) reſuſcitatus Pſ. 16. v. 10. Eſa. 53. v. 10. (13.) Aſcendit in cœlos, Pſ. 68. v. 19. (14.) ſedet ad dexteram Patris Pſ. 110. v. 1.

II. Ex

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

II. Ex divinis miraculis, quæ contigerunt vel ante *Jeſu noſtri in hanc vitam ingreſſum*, quale fuit nuncium Angelicum ad Zachariam Sacerdotem, ejusq; lingvæ ligatio & ſubſecuta ſolutio: annunciatio Angelica Mariæ facta; *vel cum ipſo ingreſſu*, uti partus virgineus, concentus Angelicus, & ea, quæ ſuprà adverſus Paganos adduximus; *vel in vitæ progreſſu*, uti morborum ſanatio, mortuorum exſuſcitatio; *vel in vitæ egreſſu*, uti præternaturalis Solis obſcuratio, terræ motus, velum templi diſruptum, petræ diſciſſæ &c. *vel poſt glorioſum aſcenſum*, â Diſcipulis in omnibus terrarum partibus peractā.

Nec obſtat nobis, quod Judæi contrà objiciunt: 1. Impoſſibile eſſe Virginem parere, adeoq; Jeſum ex adulterio natum. 2. Si fuiſſet Meſſias, illum ab illius ætatis Synagogâ, penes quam Eccleſiæ authoritas erat, agnitum ac receptum fuiſſe. 3. Splendidiorem formam ac habitum Dei Filium & Meſſiam decere. 4. Vaticinia Prophetarum de ſignis adventum Chriſti comitaturis non eſſe impleta: cum Prophetæ gladios in ligones, lanceas in falces convertendas Eſa. 2. v. 4. lupos agnis, pardos ovibus cohabitaturos Eſa. 11. v. 6. prædixerint. 5. Si ſit Dei Filius, non abrogasſe legem ſacram â Patre latam: nec aboleviſſe ritus Leviticos, circumciſionem, ſacrificia &c. *in perpetuum* obſervanda, Gen. 17. v. 7. Ex. 12. v. 14. c. 28. v. 43.

Reſp. enim ad 1. (1.) ſi in adulterio Maria fuiſſet deprehenſa, eam Joſephum non recepturum fuiſſe, (2.) tot Phariſæos, tot Judæos contra Jeſum frementes & furentes, pauperculam fæminam omni præſidio deſtitutam, procul dubio, ſecundum ſeveram de adulterio legem, accuſaturos & judicaturos, atq; ita filij famam per Matris latus confoſſuros fuiſſe (3.) Nec impoſſibile eſt, ut, qui ex

Homine

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

Homine fœminam abſq; Homine extraxit, ſine Homine ex fœmina Hominem producere poſſit. Morn. de verit. rellig. Chriſt. cap 27.

Ad 2. per Inverſionem: ſiquidem idipſum de Meſſia Prophetæ vaticinati ſunt, fore ſcilicet, ut Judæi, præ cæcitate mentis, eum non agnoſcerent, Pſ. 118. v. 22. Eſa. 6. v. 10. c. 53. v. 2. & 3.

Ad 3. falsò præſupponi, ac ſi Meſſias mundanum Regnum adminiſtraturus, gentes cruento marte devicturus & Judæorum imperio ſubjecturus, fuiſſet promiſſus: cum tamen humilem, pauperem, verberandum, crucifigendum Scriptura prædixerit, cujus utiq; aptior habitus eſſe non potuit.

Ad 4. (1.) Diſt. inter pacem Civilem & Spiritualem, qvum non tam de illa, quam de hac, quâ devicto Sathana Deo reconciliati, & ad unum ovile congregati ſumus, allegata vaticinia loquantur (2.) ſecularem etiam pacem tempore nati Jeſu floruiſſe: quoniam Templum Jani, ſub imperio Auguſti, poſt varia bella clauſum fuiſſe, Hiſtoriographi teſtantur.

Ad 5. [1. quod non abrogaverit legem Dei, ſed potius explicaverit atq; impleverit eam. (2.) Diſt. inter rem & rei typum ſeu umbram: Circumciſio enim benedictum ſemen ex poſteritate Abrahæ germinaturum ſignificabat; ſacrificia verò univerſalem illam pro totius humani generis propitiatione oblationem præfigurarunt: præſente igitur Antitypo ceſſat Typus. (3.) Vocem לעלם ſ. in perpetuum, durationem potius ad certum tempus non interruptam, quam nunquam abrumpendam denotare; uti patet Exod. 21. v. 6. 1. Sam 1. v. 22. Quod enim hæc ſacrificia aliquando ceſſatura eſſent, liquet Dan. 9. v. 27. c. 12. v. 11.

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

Et ſic concludimus atq; credimus *Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei, ut credentes vitam habeamus per nomen ejus,* Joh. 20. verſ. 31.

II. Problema.

An Scriptura Sacra absq; non ſcriptis Traditionibus ad fidem vitamq; informandam ſufficiat?

INſignem ignominiæ notam S. Scripturæ inurere tentant Pontificij: qui dum errores ſuos ſacrarum literarum pandectis palliari non poſſe vident, eas imperfectas eſſe, nec omnia ad ſalutem neceſſaria continere, ſed non ſcriptas (ut vocant) Traditiones requiri contendunt. Diſtingvunt enim (ſed malè) inter Verbum Dei ἔγγραφον atq; ἄγραφον: priori Scripturas; poſteriori Traditiones intellectas volunt, quas partim pari pietatis affectu cum Scripturis S. ſuſcipiendas, uti Concil. Trident. Seſſ. 4. Decr. 1. partim multis modis ſcripturam ſuperare, docent, uti Cöſterus Enchirid. Controv. c. 1. aſſerit, addens Scripturam S. eſſe literam mortuam, inſufficientem, membranis inhærentem, ſimilemq; vaginæ, quemvis gladium admittenti; Traditiones verò habendas eſſe, pro omnium Scripturarum interprete, omnium controverſiarum judice, errorum expultrice: immò cautum fuiſſe â Deo, ne omnia fidei myſteria ſcriptis commendarentur, quò minus margaritæ porcis objicerentur.

Ut igitur Quæſtionis ſtatum recte teneamus, 1. Non negamus Chriſtum & Apoſtolos multa dixiſſe & feciſſe, quæ non omnia ſacris literis ſint inſerta, cum & ſeptem ex XII. Apoſtolis nihil ſcripti reliquerint, qui tamen paſſim multa docuerunt. Eorum tamen ſummam & eandem, quoad rem & materiam ſubjectam, licet non quoad ſingula verba, doctrinam in ſacris conſignatam aſſerimus:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

eum omnes eundem Chriſtum, eandem ſalutis viam prædicarint. 2. Largimur etiam Apoſtolos in ſingulis Eccleſijs ritus quosdam, ordinis & decoris causâ, conſtituiſſe, eosq́; liberos & pro temporum ratione vel retinendos vel immutandos: qui licet non ſint conſcripti, eorum tamen generalis Regula proponitur, quod ad ædificationem & decorum ſint dirigendi 1. Cor. 14. v. 26. & 40 3. Affirmamus omnia, quæ ad fidem, vitamq; informandam pertinent, in Scripturis S. contineri, atq; inde vel quoad verba, vel per bonam conſequentiam deſumi poſſe: adeò ut non-ſcriptæ Traditiones minimè requirantur.

Hanc noſtram ſententiam Pontificiorum Anteſignanus Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei c. 4. ſequentibus ratiocinijs infringere conatur.

I. Si Scriptura eſſet perfecta, vel totus Canon ſufficeret, vel ſinguli libri: ſed neutrum. E. Aſſumptum probat. 1. quod non omni Eccleſiæ tempore totus hic Canon exſtiterit 2. quod multi libri perierint.

Reſp. (1.) Non ſingulos quidem libros; ſed totum Canonem ſufficere. (2.) Canonem, quamvis nunc ſit locupletior, & pleniùs ſufficiens, tum tamen, cum adeo locuples non fuerit, plenum & perfectum fuiſſe: cum ejus integritas non in librorum copia; ſed dogmatum ſufficiencia conſiſtat. Et proinde ſingulis Eccleſiæ temporibus libri, qui exſtiterũt, ſufficientes fuerunt. (3.) Quod non tam multi libri perierint, quemadmodùm Papicolæ nugantur. (4.) Concedimus quosdam interiiſſe, uti Salomonis; ſed ſine fidei jactura: nec tamen propterea perfectitudini Canonis quicquam deceſſit, cum Deus eos nobis ad ſalutem haud neceſſarios fuiſſe noverit.

II. Si Chriſto & Apoſtolis propoſitum fuiſſet Verbum Dei in Scripturas coarctandi, tum Chriſtus præcepiſſet,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

piſſet ijs, & Apoſtoli alicubi teſtarentur, ſe ex mandato divino ſcripſiſſe: ſed hoc nuſquam legimus. E. Reſp. Neg. Aſſumptionem. Scripſiſſe enim ſe ex mandato divino teſtantur (1.) quando Scripturam dicunt θεόπνευστον 2. Tim. 3. v. 16. Inſpirare autem Deum Scripturam, quam ſcribi nollet, abſurdiſſimum eſt. (2.) quia juſſi ſunt *docere omnes gentes* non tantùm iſtius, ſed & futuri ſeculi, quod vivâ voce absq; ſcriptis præſtare non potuerunt. (3.) Quia Johannes ſpeciale ſcribendi mandatum ſe accepiſſe ſcribit Apoc. 1. v. 11. (4.) Quia Spiritus S. expreſsè ſcriptiones Apoſtolorum approbavit Act. 15. ℣. 28. & per miracula confirmavit 2. Cor. 12. ℣. 12.

III. Multa, ait Jeſuita, in Scripturis non contineri, quæ tamen ignorari non poſſint, uti. (α) De remedio fœmellas in V. T. ab originali peccato purgandi (β) pro maſculis morientibus ante octavum diem (γ) de juſtificatione gentilium, tempore V. T. (δ) Teſtimonium de libris divinis (ε) nec tantum dari libros divinos, ſed etiam quinam illi ſint (ζ) nec tantum quinam ſint Canonici, ſed & in particulari, an hoc Evangelium Marci, Lucæ, &c. ſit illud ipſum, quod ſcripſerit (η) Multa myſteria adeò obſcurè in Scripturis poſita eſſe, inquit, ut difficilè inde erui poſſint (θ) de perpetua Virginitate Mariæ (ι) de feſto Paſchatos die Dominica celebrando (κ) de baptiſmo parvulorum (λ) de purgatorio, quod tamen dari Lutherus fatetur Aſſert. Art. 37. (μ) Tandem ipſam noſtram Theſin, quâ non niſi ſcriptum Verbum Dei agnoſcimus, in Scripturis non extare Jeſuita contendit.

℞. I. In genere (1.) plæraq; quæ adducit Jeſuita, non eſſe fidei articulos, adeoq; non neceſſaria ad ſalutem (2.) quamvis non omnia ſcitu neceſſaria κατὰ ῥητὸν in Scripturis contineantur, exinde tamen infallibiliter deduci ac

inferri poſſe: perinde enim ſunt, quæ ex Scripturis colliguntur, atq; ea, quæ ſcribuntur, Naz. lib. 5. Theol.

II. In Specie ad (α) Quod fœmellæ externo quidem Circumciſionis ritu, non tamen fructu caruerint: ſiquidem vis circumciſionis, quæ ſolis maſculis erat impoſita, cum & ipſæ de ſemine Abrahami eſſent, per Parentum preces & oblationes ad ipſas etiam pertingebat. Ad (β) Cum parvulis ante octavum diem denatis extraordinariè Deum egiſſe, illosq; vi fœderis cum Abrahamo pacti: *Ero Deus ſeminis tui*, licet externo fœderis ſigno caruerint, ſalvaſſe: aliàs enim circumciſionem ad octavum diem non distuliſſet, ſi illos damnandos ſciviſſet. Ad (γ) Salutis unicum medium fidem in Mediatorem Scriptura aſſerit: hanc igitur in V. T. qui habuerunt, etiamſi corpore Eccleſiæ Iſraëliticæ non adhæſerint, ijs ſalutem adſcribit; qui ſecus, ijs denegat. Ad (δ) (ε) R. (1.) Quando de Authoritate Canonica librorum ſacrorum dubitatur, eatenus quidem Eccleſiæ teſtimonio, ut manuductione ad Scripturam, uti poſſumus; ipſa autem Scripturæ Authoritas ex inſita Verbi majeſtate, divinitate & efficacia eluceſcit. Ad (ζ) Hoc non ad Articulos fidei, ſed hiſtoricam Veritatem attinere, ac de eo Eccleſiæ, ceu fidelis aſſervatricis hujus ſancti depoſiti, teſtimonium adhiberi poſſe. Ad (η) Scripturam eſſe optimam ſui interpretem, & quod alicubi obſcurius pronunciaverit, alibi luculentius explicare, adeo ut omnes fidei Articuli exinde, licet aliquando *difficulter*, ut Jeſuita fatetur, verè tamen & infallibiliter erui poſſint. Ad (θ) quod (1) Non ſit dogma ad ſalutem abſolutè neceſſarium (2.) ipſi Patres hanc etiam ſententiam contra Antidicomarianitas ex Scripturæ dictis tueantur. Ad (ι) Ortam hanc olim de tempore celebrandi Paſchatis controverſiam, ita Sozomenus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

zomenus lib. 7. c. 19. compoſitam teſtatur, ut quisq; ſuam conſuetudinem ſuumq; arbitrium retineret. Non igitur fidei Articulus eſt, ut vult Jeſuita, ſed libera conſuetudo. Ad (κ) Baptiſmum parvulorum poſſe ex Scripturis demonſtrari Bellarminus ipſe fatetur, dum tribus ex ſcriptura deſumptis argumentis hoc ipſum probat lib. de Sacram. Bapt. c. 8. Ad (λ) Lutherum crediđiſſe quidem Purgatorium, non ut rem certam, ſed ut probabilem: idq; primis annis, qvum Papatum oppugnare cœpit, ubi adhuc errores quosdam papales amplexus eſt, quos poſtea rejecit & damnavit. Ad (μ) Eſt Petitio principij: perfectionem enim Scripturæ, adeoq; non-ſcriptarum Traditionum vanitatem ſatis noſtrates ex Scripturis demonſtrarunt, & nos ex ijsdem breviter demonſtrabimus.

I. A titulis S. Scripturæ tributis: vocatur enim *Canonica* Pſ. 19. ℣. 5. Gal. 6. ℣. 16. *perfecta*, *convertens animas* Pſ. 19. ℣. 8. *libri Teſtamenti* 2. Cor. 3. ℣. 14.

II. Ex dictis, quæ additionem & detractionem Scripturæ prohibent Deut. 4. ℣. 2. c. 12. ℣. 32. Apoc. 22. ℣. 18. & 19. Gal. 1. ℣. 8.

III. Ab Effectu Scripturæ: qui eſt *docere*, *redarguere*, *corrigere*, *Hominem ad omne opus bonum perfectè inſtruere*, 2. Tim. 3. ℣. 16. σοφίσαι εἰς σωτηρίαν ib ℣. 15.

IV. Ab exemplo Chriſti, ſua dogmata ex Prophetarum ſcriptis probantis, & Auditores ad Scripturarũ lectionem remittentis Luc. 24. ℣. 25 Joh. 5. v. 39. Luc. 16. ℣. 29.

V. A teſtimonio Pauli: Paulus enim nihil ſe dicit prædicaſſe extra ea, quæ Moſes & Prophetæ prædixerunt, Act 26. ℣. 22. ipſe verò, ſe omne conſilium Dei ac totum Evangelium annuntiaſſe, teſtatur Actor. 20. ℣. 27. Ergo ſequitur omne conſilium Dei de prædicando Evangelio in Scripturis Prophetarum contineri.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

Concludimus igitur hanc controverſiam verbis Servatoris noſtri: *Vos irritum feciſtis mandatum Dei veſtris traditionibus* Matth. 15. ℣. 6.

III. Problema.

An Corpus Chriſti in pluribus locis ſimul eſſe poſſit?

INter horrenda, quæ hæreticorum perverſitas in Eccleſiam, de ipſo etiam Eccleſiæ Capite Chriſto, invexit, paradoxa, non infimas tenet illud Calvinianorum, quo, ut veram corporis Chriſti in S. Cœna præſentiam tollant, realem idiomatum communicationem, adeoq; omnipræſentiam humanæ Chriſti naturæ pernegant.

Nos igitur in hoc Problemate non quærimus (1.) de modo, quo corpus Chriſti præſens adeſſe poſſit. Hunc enim, cum in ſacris nobis non ſit revelatus, omniſcientiæ divinæ relinquimus. Kemn. Exam. Conc. Trid. part. 2. Nec (2.) an poſſit adeſſe naturaliter. Nec (3.) poſſit eſſe in pluribus locis æquè circumſcribentibus. Nec (4.) An adſit per expanſionem aut infinitatem ſibi ſubjectivè inhærentem. Sed (5.) de hoc quæritur: Anne Chriſti corpus in unione & per unionem perſonalem, verè ſupernaturali & imperſcrutabili modo in pluribus locis ſ. ubi ſimul adeſſe poſſit? id quod nos aſſerimus & demonſtramus.

I. Ex arctiſſimâ atq; indiſſolubili duarum in Chriſto naturarum unione: quæ facit, ut nec una natura absq; alterâ eſſe, nec ab alterâ ſeparari in omnem æternitatem poſſit: Jam cum Chriſtus ad finem usq; ſeculi nobiſcum eſſe promiſerit Matth 18. ℣. 20. cap. 28. ℣. 20. Calviniani non integrum, ſed dimidiatum Chriſtum in his terris præſentem ponunt, atq; ita pro arbitrio ſuo

naturas

naturas Chriſti divellunt, diſcerpunt, ſegregant. Wigand. de Sacramentar. pag. 169.

II. Ex hac hypoſtatica unione vera & realis idiomatum communicatio reſultat, qua non τῷ ὀνόματι duntaxat, ſed ὄντως, ut veriſſimè loquitur Grawerus Abſurd. Calvin. cap. 2. proprietates divinitatis humanæ naturæ communicantur: ſiquidem unanimis Eccleſiæ conſenſus approbat, Chriſtum, quæcunq; in tempore accepit, non ſecundum divinitatem, ſecundum quam ab æterno omnia poſſidebat, ſed ſecundum humanitatem accepiſſe. Jam verò Scriptura teſtatur *traditam ipſi gloriam, honorem, regnum* Dan. 7. ℣. 14. *omnem poteſtatem in cœlis & in terra* Matth. 28. ℣. 18. *omnes theſauros divinæ ſapientiæ* Col. 2. ℣. 3. *cultum adorationis* Phil. 2. ℣. 9. & 10. *collocatum eſſe ad dexteram Dei* Actor. 2. ℣. 35. quæ ubiq; eſt Eſa. 40 ℣. 12.

III. Ex teſtimonio Chriſti Joh. 3. ℣. 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius Hominis, qui eſt in cœlo.* & Pauli Eph. 1. ℣. 22. *omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſuper omnia, ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudinem ejus, qui omnia in omnibus adimplet.* Eph. 4. ℣. 10. *Aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia.*

Sacramentarij ê contrario aſſertionem noſtram impugnant. 1. Ex illis Scripturæ dictis, quæ Chriſtum verum naturale corpus aſſumpſiſſe teſtantur: Naturale & verum corpus eſt circumſcriptum. Chriſti corpus eſt tale. E. Sadeel de verit. human. nat. cap. 2. Reſp. (1.) Diſt. inter circumſcriptionem quoad eſſentiam, & quoad externum locum. (2.) Majorem veram eſſe non de omni corpore verè phyſico, ſed tantum de corpore merè phyſico. Menz. in Anti Sad. (3.)

Diſt.

Diſt. inter proprietates phyſicas, quas corpus Chriſti per ſe & ex ſua natura habet; & hyperphyſicas, quas κατ' ἄλλο ſeu ex gratia unionis perſonalis habet: qualia idiomata ſunt ambulare ſuper mare: ingredi per januas clauſas, fieri ἄφαντον &c. Graw. Bell. Calvin. congr. 1.

II. Ex ijs, quæ Chriſtum alicubi abfuiſſe ajunt, uti Matth. 28. ℣. 5. *ſurrexit, non eſt hic.* Joh. 11. ℣. 15. *gaudeo, quod non fuerim ibi.* Sad. c. 2.

Reſp. (1) Diſt. inter præſentiam Chriſti viſibilem, localem atq; phyſicam; & inviſibilem ſ. hyperphyſicam: illâ, non hâc abeſſe, adire, abire dicitur (2.) Diſt. inter omnipræſentiam Chriſti χρήσει & κτήσει: Chriſtus enim tempore humiliationis *ſeipſum exinanivit uſu divinæ majeſtatis, aſſumptâ formâ ſervi* Phil. 2. ℣. 7.

III. Ex illis Chriſti: *Pauperes ſemper habebitis, me autem non ſemper.* Matth. 26. ℣. 11. Oecol. in colloq. Marpurg. R. Diſt. inter abſentiam omnimodam, & certo modo determinatam: Chriſtus non amplius pauper & officijs noſtris indigens adeſt, uti tunc aderat. Luth. ib.

IV. Ex ijs Scripturæ effatis, quæ dicunt Chriſtum mundum relinquere & vadere ad Patrem Joh. 16. ℣. 28. Aſcendiſſe ad Cœlos Luc. 24. ℣. 51. Sedere ad dexteram Patris Marc. 16. ℣. 19. cœlo capi Act. 3. ℣. 21. Sad. Reſp. (1) Chriſtus reliquit mundum atq; ad Patrem ivit, non ſuam præſentiam auferendo, ſed paſſionem & mortem ſubeundo: quod patet ex verbis ipſius Luc. 24. *hæc locutus ſum vobis, cum adhuc vobiſcum eram.* Graw. Bell. Calv. (2.) Diſt. inter præſentiam viſibilem & majeſtaticam (3.) Dexteram Dei non circumſcriptum ac certum in Cœlo locum, ſed Ipſam Dei Majeſtatem atq; omnipo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

omnipotentiam denotare, ad quam Chriſtus ſecundum humanitatem evectus eſt. (4.) Locum Actor. 3. ℣. 21. ὃν (χριστὸν) δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι ſophiſticè corruptum, atq; ita interpretandum eſſe: *Chriſtum oportet capere cœlum*, & conſtructio denotat, & Paulus, qui eum ſupra omnes cœlos aſcendiſſe ait, comprobat.

V. *Noſtra corpora erunt conformia glorioſo Chriſti corpori* Phil. 3. ℣. 21. noſtra vero corpora non erunt ubiq; præſentia: E. nec Chriſti corpus. Zuingl. Colloq. Marpurg. Sadeel c. 2. Reſp. Eſt fallacia â dicto ſecundum quid: conformitas enim corporum noſtrorum cum corpore Chriſti, in cœleſtis vitæ gloriâ, in ſpiritualitate, in incorruptibilitate, in perfectitudine, agilitate, claritate, non autem in illis prærogativis, quæ ſoli Chriſto etiam ſecundum carnem competunt, conſiſtet, ſiquidem earum cauſa non eſt corporis glorificatio, ſed hypoſtatica naturarum unio.

IV. Tandem abſurdum, atq; adeò impoſſibile eſſe ajunt nonnulli, corpus finitum ſimul pluribus in locis eſſe, ut ipſe Deus efficere id nequeat, cum ex eo rerum genere ſit, ad quas potentia Dei ſe non extendit. Martyr dial. de utraq; nat. Chriſti, Beza in Colloq. Mompelg. Reſp. (1.) Diſt. inter Abſurda fidei & rationi: corpus Chriſti naturaliter circumſcriptum & finitum, ſupernaturaliter per unionem perſonalem ubiq; præſens eſſe, non fidei ſed male-ſanæ rationi abſurdum eſt. (2.) Blaſphemum eſt potentiæ Dei metas ponere: id quod ipſe ægrè fert, inquiens Jer. 32. v. 27.

Ecce ego Jehova Deus univerſæ carnis: nunquid mihi difficile erit omne verbum?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

COROLLARIA.

I. UNum eſſe Deum, ſana etiam veterúm Philoſophorum Sapientia cognovit. Morn. c. 3.

II. Via acqvirendæ ſalutis in V. T. omni tempore Iſraëli patefacta fuit. Morn. c. 27.

III. Negat Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei c. 4. Scripturas S. fuiſſe neceſſarias: nos diſtingvimus inter neceſſitatem abſolutam & hypotheticam, atq; Scripturas ex hypotheſi, propter corruptionem ſcilicet Hominũ, ut Chryſoſtomus loquitur, neceſſarias eſſe ſtatuimus, VVhitak. de Script. c. 7.

IV. Inter Verbum Dei, & Scripturam S. materialiter acceptam, reale diſcrimen non agnoſcimus. Gerh. Exeg. Loc. 1. c. 1.

V. De tota perſona Chriſti non verbaliter, ſed realiter prædicantur, quæ unius naturæ propria ſunt: naturis interim nec mutatis, nec confuſis. Gravver. Bell. Calvin.

VI. Humanæ etiam Chriſti naturæ cultus religioſæ adorationis non quidẽ ſeorſim aut ſolitariè, ſed ἐν ὑποστάσει τοῦ λόγου competit. Gerh. Exeg. Loc. 4. c. 5. & 12.

Ardua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

A Rdua conſcendis ſancti faſtigia montis,
dum, Burcharde, *probè res meditare ſacras.*

Aſſiduo ulteriùs ſtudio conſcendere perge,
Sic dabitur cœli pulchra corona tibi,

JACOBUS FABRICIUS, D. Superintendens.

Ad Reſpondentem.

TErtius es fratrum BURCHARDO Patre ſatorum,
Andrea. Digni ſunt reliqui ecce Patre.
Pulpita noſtra olim: namq; hoc meminiſſe juvabit:
BURCHARDI eloquio perſonuiſſe ſcio.
Explevit fatum, cathedramq; Chilone reliquit
Matthiæ. In gnato vox ſonat ipſa viri.
Heinricus meus eſt jam toto tertio ab anno,
Progeniemq; probi ſe probat eſſe Patris.
Tertius, Andrea, numerum trinum eſſe memento
Perfectum. Cœptum perfice, eriſq; Pater.

J. MICRÆLIUS.

QVod pietas geniusq; ferunt, quodq; imperat uſq;
Hoc Germane *proba. Terra DEUSq; favet.*
Pauca licet ſcribat nobis ſeſtertia fundus,
Dis eſt, quem pietas ſpe potiore beat.
Indue mente Patrem: ſi ſors tibi nubilat, orbis
Totius fatum ſub Jove crede premi.

Fratri Germano ad honeſta quævis adſurgenti gratulatur

G. Heinricus Burchardi,
Holſatus.

Qualis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

QValis ignitus numeroſâ firmum
Laminâ profert clypeum Pyragmon,
Arido ſi quis precio redemptor
Poſcat in uſus;
Malleo fidens, animoſus atque,
Ictibus crebris jubet experiri,
Æreum ſi quà penetrare poſſit
Vulnere tegmen.
Ille non expers, tremebunda quanto
Ariete inſultans volet haſta ſcuto,
Quantus inſurgat rutilante plagâ
Noricus enſis,
Sedulus mollem ſpeculatur anſam
Aſpero in texto, jaculis acutis,
Integrum aut plumbo feriens rotundo
Pondus adulter.
Sic tuum præbes, juvenum Smaragde,
Dogma ſtringendum tenui ſagittâ
Mentis argutæ, dubios paratus
Solvere nodos.
Muſa quod veſtro dabis inde munus
Floſculo, docti precium duelli?
Laude ſtipatus Cathedram relinquet
Victor ovanti.
Laude non mutet juvenum Cupido,
Nectaris ſi vel Jovis ignis ipſe
Tros puer ſucco cupiat liceri.
Gloria pulchros
Provocat, pectus ſtimulans, honores,
Aura ceu, cum purpureos procatur
Leniter flores, peramæna ſpirans
Oſcula naſo.

Hæc officij & benevolentiæ conteſtandæ gratia Ornatiſſimo Humaniſſimoq; Dn. Reſpondenti gratulabundus appoſuit

ERASMUS FINX, Lubec.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-502 4° 2046